Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36541
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

20

menter possimus accipere spiritum. quorum specialem custodie et protec-
tionis diligentiam. hec uirgo gloriosa tanto maiorem circa se
promeruit. quanto per singularis uite innocentiam. prima om-
nium angelice uite imitata est excellentiam. A talibus suis cus-
todibus per inuisibilem protectionis gratiam numquam ei absentibus. tunc
presentialiter est inuenta. cum abditum absconditum indiuidue tri-
nitatis consilium angelico ei affatu insinuatur. quemadmodum per euuangelis-
tam aperte dicitur. Ingressus inquit angelus ad Mariam ait. Aue gratia
plena. dominus tecum. Ibi sane licet solus Gabriel archangelus no-
minetur. nequaquam tamen credimus quod solus et sine magno ce-
lestis exercitus comitatu ad tantam tanti domini sui sponsam intie-
rit. que non sibi soli sed uniuerso humano generi eterne salutis nun-
tia detulit. Hii ergo custodes inuenerunt me. percusserunt
me. et uulnerauerunt me. Sed que percussiones. que rogo uul-
nerum isti modi fuere inflictiones. Timor nimirum et amor.
Timore siquidem quasi duro quodam uerbere concutitur. dum non in-
memor scripture. quia angelus sathane transfigurat se in angelum
lucis. angelico stupefacta fulgore concutitur. Unde et ipse an-
gelus consolans eam ait. Ne timeas Maria. Sed dum tam blan-
da consolationis manu plagarum contusiones familiariter con-
trectans. lenire studeret atque sanare. sagittam nimis acutam sub-
ito sagittauit. que dulci nimium uelocitate usque ad diuisionem
anime ac spiritus pertingens. dilectam dilecte uirginis animam sua-
uissimo amoris uulnere delectabiliter sauciauit. Ecce inquit
concipies et paries filium. ac si dicat. Ecce desideratus. quesitus
diu et uocatus. non solum uidendus tibi exhibetur. sed etiam humana
extra uestietur carne. Sequitur. Tulerunt pallium meum custodes mu-
rorum. Per pallium sublatum originale accipitur peccatum. Est autem
peccatum originale. concupiscentia carnis. et ignorantia anime.
Hoc sine pallio quia hec uirgo beata. ut pote in peccatis con-
cepta et nata nequaquam caruit. audita quidem credidit. sed quomodo fieri
possent penitus ignorauit. dicit ergo. Quomodo fiet istud quoniam uirum